

Übersetzen Sie den folgenden Text (I.) in angemessenes Deutsch und bearbeiten Sie die der sprachlichen Erläuterung dienenden Aufgaben (II.)!

### I. Text

1 *Narrare vero rem quod breviter iubent, si brevitatis est appellanda, cum*  
2 *verbum nullum redundat, brevis est L. Crassi oratio; si tum est brevitatis,*  
3 *cum tantum verborum est, quantum necesse est, aliquando id opus est; sed*  
4 *saepe obest vel maxime in narrando, non solum quod obscuritatem adfert,*  
5 *sed etiam quod eam virtutem, quae narrationis est maxima, ut iucunda et ad*  
6 *persuadendum accommodata sit, tollit. Vident illa:*  
7 *Nam is postquam excessit ex ephebis . . . .*  
8 *quam longa est narratio! Mores adolescentis ipsius et servilis percontatio,*  
9 *mors Chrysidis, voltus et forma et lamentatio sororis, reliqua pervarie*  
10 *iucundeque narrantur.*  
11 *Quod si hanc brevitatem quaesisset,*  
12 *Effertur, imus, ad sepulcrum venimus,*  
13 *in ignem impositast,*  
14 *decem versiculis totum conficere potuisset; quamquam hoc ipsum „effertur,*  
15 *imus,“ concisum est ita, ut non brevitati servitum sit, sed magis venustati.*  
16 *Quod si nihil fuisset nisi „in ignem impositast“, tamen res tota cognosci*  
17 *facile potuisset. Sed et festivitatem habet narratio distincta personis et*  
18 *interpuncta sermonibus, et est et probabilius, quod gestum esse dicas, cum*  
19 *quem ad modum actum sit exponas, et multo apertius ad intellegendum est, si*  
20 *constituitur aliquando ac non ista brevitatis percurritur. Apertam enim*  
21 *narrationem tam esse oportet quam cetera; sed hoc magis in hac*  
22 *elaborandum est, quod et difficilius est non esse obscurum in re narranda*  
23 *quam aut in principio aut in argumentando aut in perorando; et maiore*  
24 *periculo haec pars orationis obscura est quam ceterae, vel quia, si quo alio*  
25 *in loco est dictum quid obscurius, tantum id perit, quod ita dictum est,*  
26 *narratio obscura totam occaecat orationem, vel quod alia possis, semel si*  
27 *obscurius dixeris, dicere alio loco planius, narrationis unus est in causa*  
28 *locus. Erit autem perspicua narratio, si verbis usitatis, si ordine temporum*  
29 *servato, si non interrupte narrabitur.*

### II. Aufgaben

1. Geben Sie eine syntaktische Analyse der Periode *Sed et ... percurritur* (Z. 17-20)!
2. Erläutern Sie Wortbildung und semantisches Spektrum von *occaeocat* (Z. 26) und *interrupte* (Z. 29)!